

Ab Urbe condita

Praefatio

7-13

[7] Datur haec uenia antiquitati [ut miscendo humana diuinis primordia urbium augustiora faciat]; et [si cui populo licere oportet (consecrare origines suas et ad deos referre auctores)], ea belli gloria est populo Romano [ut (cum suum conditorisque sui parentem Martem potissimum ferat), tam et hoc gentes humanae patiantur aequo animo (quam imperium patiuntur)].

[8] Sed haec et his similia [utcumque animaduersa aut existimata erunt] haud in magno equidem ponam discrimine: [9] ad illa mihi pro se quisque acriter intendat animum, [quae uita, qui mores fuerint, per quos uiros quibusque artibus domi militiaeque et partum et auctum imperium sit]; [labente deinde paulatim disciplina] uelut desidentes primo mores sequatur animo, deinde [ut magis magisque lapsi sint, tum ire coeperint praecipites, (donec ad haec tempora (quibus nec uitia nostra nec remedia pati possumus) peruentum est)].

[10] Hoc illud est praecipue in cognitione rerum salubre ac frugiferum, [omnis te exempli documenta in inlustri posita monumento intueri]; inde tibi tuaeque rei publicae [quod imitere] capias, inde foedum inceptu foedum exitu [quod uites].

[11] Ceterum aut me amor negotii suscepti fallit, aut nulla unquam res publica nec maior nec sanctior nec bonis exemplis ditior fuit, nec [in quam ciuitatem tam serae auaritia luxuriaque immigrauerint, nec ubi tantus ac tam diu paupertati ac parsimoniae honos fuerit].

[12] Adeo [quanto rerum minus], tanto minus cupiditatis erat: nuper diuitiae auaritiam et abundantes uoluptates desiderium per luxum atque libidinem pereundi perdendique omnia inuexere.

Sed querellae, [ne tum quidem gratae futurae (cum forsitan necessariae erunt)], ab initio certe tantae ordiendae rei absint: [13] cum bonis potius omnibus uotisque et precationibus deorum dearumque, [si, ut poetis, nobis quoque mos esset], libentius inciperemus, [ut orsis tantum operis successus prosperos darent].

LEGENDA

- Proposizione principale
- Introduttore
- [subordinata di primo grado]
- (altre subordinate)
- Quanto alle forme nominali, i gerundi e gerundivi sono trattati come strutture nominali; i partecipi anche, a meno che non reggano a loro volta strutture complesse.
- Nel caso dei verbi modali l'infinito semplice che li accompagna viene considerato un unico

predicato col verbo modale stesso